

Оссолінські колекції.

CD – диск виконано в рамках угоди укладеної з квітня 2004 р. між Львівською науковою бібліотекою НАН України у Львові і Національним Закладом ім. Оссолінських у Вроцлаві.

Lwowska Naukowa Biblioteka im. W. Stefanyka NAN Ukrainy. Oddział Rękopisów. Zespół
(fond) 103.

ARCHIWUM SAPIEHÓW Z KRASICZYNA

IX. RĘKOPISY I DRUKI.

633. I primo felicissimo auspiciatissimoque Alexandri comitis Sapieha ingressu
gratulatio facta. Druk, Wilno 1775.

STRONY NIEZAPISANE NIE ZOSTAŁY ZDIGITALIZOWANE

633.

Antiquarium Societas 1913

ЛЬВІВСЬКА НАУКОВА БІБЛІОТЕКА ім.
В. СТЕФАНИКА НАН УКРАЇНИ

ВІДДІЛ РУКОПИСІВ

ФОНД 103 (Can)

ОПИС _____

ОД. ЗБ. 633/a

PRIMO
O AUSPICATISSIMOQUE
SSIMI EXCELLEN-
TISSIMI DOMINI DOMINI
ALEXANDRI

In
Bychow, Druja, Dąbrowna, Czereja; &c.

COMITIS
SAPIEN-
TISSIMI PALATINI POLOCENSIS.


Equitis Albe Aquilæ.
In Urbem Magistratus Sui Metropolitani

INGRESSU
GRATULATIO

Nomine Litvanæ BASILIANÆ Provincia

F A C T A

Annō Domini M D C C L V.




V I L N Ā
Typis S. R. M. Fratrum Min: Conv: U

*P. D. Remigio Jakubowicz Monacho Basiliano suo excellenti in Philoso-
phia Auditori dat J. M. B. S.*

IN AVITUM
Celsissimæ Gentis
S A P I E H A N Æ

Insigne



Majestas Lechiæ, Lex, Libertasque Polona
De SAPIEHANIS dimicure notis
Majestas inquit, niveo candore nitentes
Flores sunt Nostri; Lex ait, Arma mihi.
Porro trilice manum Libertas ære rigentem
Postulat, hæc strenue me tueatur, ait.
Audiit, & lites cur Vobis? Patria dixit,
Unus si totus quisque SAPIEHA meus.

ORATIO



ORATIO

ET si veremur PALATINE ILLUSTRISIME ne nos ad dicendum accedere temerarium cuipiam atq; audax facinus videatur, propterea quod cum tot summis Oratoribus, Virisq; ornatissimis, qui Tibi in hac Principe Russiæ Albæ Provincia ad Primam Senatorii muneris dignitatem evecto, & nunc maximo cum splendore eam ineunti de Amplissimo Honore gratulantur, neq; celebritate, nec ingenio, neq; ulla dicendi laude simus comparandi; tamen teneri non possumus, quin quod à cæteris eximiè præstari videmus idem nos, quanquam mul-

tò exiliùs, quam par sit, tractandum suscipiamus. Nam si Nobis hodie in tam insolita voluptate, quâ Tua ista novæ dignitatis celebritas Invictissimum Regem Nostrum, ordinem & Senatorium & Equestrem ornatissimum, bonos omnes, Patriam demum universam cumulatè perfudit, inque omnium ordinum publicis ac privatis gratulationibus vocem nullam edere decretum fuisset, ne nos cum paucis conticendo pejus audire cogeremur, quàm ut, ubi in conferto hominum certatim Tibi gratulantium cætu dicimus; succensendum nobis putemus. Equidem sic existimo illos ab animi insolentia non abesse, atq; ad audendum projectos judicari oportere, qui quum cæterorum vincuntur ingenio, ne tamen de victoria concedere videantur, mutos se nolunt & elingves, atq; ita demum ad Virorum Illustrium laudes se se applicant, ut laudi suæ studeant ac Gloriæ. Nobis consilium longè aliud. Etenim non laudes consecrari volumus, qui non possumus, et, si quidem possemus tantum certè Nobis sumere vereremur, qui probè intelligimus nullam tam insignem esse elòquendi vim, nullam tantam orationis Majestatem quæ non infra præclarissimam generis, virtutis, Honorisq; Tui amplitudinem posita esse videatur. Quare est cæteris laus, quam ut jure suo vindicare possent incredibili dicendi facultate effecerunt, Nobis hoc unum est in animo, ut nos hoc vili minutoq; Officio Tibi Totiquè Celsissimæ SAPIEHANÆ Familiæ non ingratos, haudquaquam verò commendatos, ingenio declaremus. Nam si quis rem volet scrutari accuratiùs, si diligentius ponderare promeritorum magnitudinem, quibus Gens SAPIEHANA præstantissima Russiam Orthodoxam ac Basilianam sibi devicit, obstrinxit, mancipavit Familiam, facilè intelliget nos nisi ingratis omnium mortalium esse velimus in tanto beneficentissimæ Prosapie gaudio tacere non posse, testari verò palam studia in Te Nostra debere, si animus est amorem referre pro gratia, quam meritis parem nunquam referemus. Igitur cum hæc ita sint, fidenter PALATINE ILLUSTRISIME obtingentem, arduam quanquam & difficilem capio Provinciam, ac tanto fidentiùs, quanto & spe de Tua singulari humanitate concepta arrigor ampliore & majore approbandæ Tibi, si minus orationis Nostræ, at certè voluntatis cupiditate inflammor.

Ac mihi quidem de summo Honore Tuo dicere medianti prorsus ita videtur, nullo in argumento meam præclariùs orationem posse versari, quam si, collata Tibi Senatoriæ dignitatis amplitudo quantum non Patriæ solum spei optimæ, sed etiam Provinciæ Polocensium lucis afferat ac splendoris exponere statuum, minimè id quidem, quod existimem non illam plurimum ad splendorem & ornamentum Tui facere, quem in luce atq; oculis Regni hujus florentissimi collocavit, sed quia libenter ita statuo, decus hoc Tuum eximium, etiamsi id per se non tantopere fulgere videretur, tamen eas ob causas Tibi incredibili dignitate Viro Nobile

bile semper esset & Illustre ad gloriam Nominis immortalem. Hoc unum tantum PALATINE ILLUSTRISSEME vehementer à Te postulo, & contendo, ut si forte minus à me ornate ac copiose dicetur, quam ut delecta ad dicendum materie dignitas, & Tuæ amplitudo gloriæ postulabit, tamen idcirco me benevolentia ac humanitate sublevare non desistas.

P A R S P R I M A

Planum id & nemini non perspectum est, dignitatem Senatorum & Nomine apud Polonos amplissimam & autoritate proximè Reges Deos illos mortales contingentem, totam, quanta quanta est, è re Patriæ esse illiusq; publicis commodis servire unicè. Quid enim propositum tibi habent hi maximi ordinis homines, quo cursum dirigere, & quid intueri debent? id sanè quod bonis omnibus maximè est optabile: Patriæ salutem & prosperitatem.

Omnes quidem qui Cives boni dici & haberi volunt Patriæ commodis inservire; dignitati obsequi, Religiones, jura, instituta, suis laboribus, consiliis, opibus, juvare, fulcire; tueri, ubiq; ita res postulet, vel objectu corporis, atq; ancipiti sui capitis dimicatione propugnare decet, nihilq; antiquius sibi ducere, quam ut communis omnium Parens felix otio, opibus firma, locuples copiis, gloriâ Illustris semper floreat. Pietatis etenim est, ei nullum gratiarum genus negare velle, cui bonas leges, optimos mores, honestissimas disciplinas, & commoda amplissima debeas; & aliquod conniti reddere, quod abundè persolvere neq; pro illius meritis, neq; ex Tua facultate possis.

Sed ut ut omnium sit Patriam & amare & juvare, maximè tamen eorum, quos publici consilii Principes, suæ dignitatis Custodes, suosq; Patres Patria recognoscit. Ab aliis enim officia in Patriam postulatur, ab istis exiguntur. Aliis pietas, his justitia, ac inviolabilis Sacramenti Religio Reipublicæ defensionem curasq; committit. Satisq; alii suo officio factum putant, si quum res Patriæ in discrimen adducta est, arma capiant, dent consilia, sumptus corrogent, omnesque nervos pro salute Patriæ defendenda contendant. His in fastigio Regibus proximo constitutis incumbit etiam ex hac editione Reipublicæ specula, oculis & animo emittis intueri, ubi formidolosa tempestas ac infesta calamitas comparetur? Unde fluctus & procellæ in navim Reipublicæ ingruentis metuantur, atque adeò non presentibus modò

malis Patriam explicare, sed & à metu malorum, quæ impendent prohibere. Hoc enim eis unum in animo est, cum longa, molestaq; magnis sumptibus & incommodis, jam Grodnam jam Varsoviam apparant itinera, cum in summo singulis bienniis cogi solito Patriæ Concilio curis singularibus anguntur, ac vigiliis, cum in sui amplissimi ordinis congressibus singulas rerum partes quam maximè intentis, ut ajunt, oculis intuentur, cum in gravissimis, quæ Rempublicam inter & externos Principes intercedunt, negotiis industriam expromunt suam & laborem, cum deniq; divisa cum Rege Optimo Maximo Reipublicæ curâ, obliti propè sui, publicis unicè negotiis obsequuntur.

Sed quorsum hæc? ut liquido nimirum constet, Patriam, in his amplissimi ordinis Viris omnia fortunæ suæ præsidia collocata, atq; aded spem salutis publicæ ac prosperitatis constitutam habere. Quod si omnibus communis laus hæc Senatoribus Præclarissimis, certè Tui propria atq; singularis PALATINE ILLUSTRISIME. Ego enim sic existimo in Patre conscripto, in quo Patria spei suæ optimæ collocet præsidia, duas res inesse oportere: sapientiam singularem, nec non virtutem incredibilem.

Age verò quæ par oratio sapientiæ Tuæ inveniri potest? Omnium hæc quidem Vestrum SAPIENTIÆ ILLUSTRISIMI ita propria est, ut cum Nomine à SOPHIA, derivato hæreditatem sapientiæ adire videamur. Quam enim insignis emittit in Genitore Tuo ILLUSTRISIMO, Supremo Rei Tormentariæ M. D. L. Præfecto CASIMIRO; quam admirabilis in Avo Supremo Marefchallo M. D. L. ALEXANDRO? quam copiosè loquens in illo, qui os Sarmatiæ aureum audiebat, itidem Marefchallo M. D. L. JOANNE STANISLAO? quam erudita in CHRISTOPHORO, jucunda in JOANNE FRIDERICO altero Notario, altero Cancellario M. D. L.? quam penè divina conspicitur in illo, quem Bibliothecam ambulantem jure dixeris JOSEPHO Diocæsariensium, ac designato Vilnensium Episcopo? quam excellens perfectaq; in altero Patruo Tuo MICHAELE Procancellario M. D. L. Ut omittam ILLUSTRISIMUM MICHAELEM Præfectum Punsensium Fratrem Tuum ornatissimum, aliosq; innumeros, quos laus sapientiæ vel vivos apud Orbem terrarum cohonestat, vel mortuos memoriæ tradidit posterorum. Sed tamen in Te PALATINE ILLUSTRISIME ita effulget, ut nullam putem existere tantam facultatem orationis & gravitatem, tam copiosum ingenii flumen, quo quisquam possit Tuam præclaram eruditionem, & ample & fidenter non dicam illustrare dicendo, sed percensere numerando.

4

Nam Tu postquam acre ac Divinum ingenium à natura fidelemq; memoriam, ac præstantem accepisses, statim, ut per ætatem licuit animum ad rerum cognitionem adjecisti. Noveras quippè vel tum PALATINE ERUDITISSIME cum illo Archyta Pytagoreo sapientiâ animum Divinum effici, femina beatæ vitæ adolescere, fructumq; ad immortalitatem comparandam uberem ferri percipi q;. Itaq; ea ætate, quâ alii nugas & ludicra confectantur, lusionibus se oblectant, diffluunt blandimentis, ac toti voluptatibus irretiti multarum ac memorabilium rerum scientiam negligere solent, Tu in tanta fortunæ amplitudine, in maxima rerum omnium affluentia, non otium, non ludos, non delicias, sed libros, sed labores, sed virtutem complexus, eo studio, eo animi ardore Te totum in literas abdidisti, ut ineunte adolescentia tantus miraculô literarum videreris, quantum Te suspicimus universi. At quantum suspicimus? Summum, insignem, admirabilem. Nam quæ singula mirari solemus, in excellentibus ingeniis, & sublimibus naturis, ea junctim universa possedisti. Quo enim in genere optimarum literarum, non ita feliciter veritatus es, ut quod esset perceptione dignum, non omnem ejus succum combibisse, ac in sanguinem convertisse videre? Erat in laude olim singulari, peneq; divinum videbarur duarum lingvarum sermones callere, hocq; in Equite Romano celebrat Princeps Lyricorum nobilissimus. Quid diceret si Nostrum in ævum delatus foret? quanta admiratione teneretur? quam suspensus hæreret? si Te tot lingvis, sono, varietate diversissimis sensa animi depromentem auribus exciperet?

In historia autem quam Nobiles progressus fecisti? Quid est in Sacra quid ignores? quid in profana, quod Te fugiat! quid in veteri & recenti non Tibi apertum? quid in extera & domestica non perspectum? Quod sane ad laudem Tuam singulare sit oportet. Est enim hæc quædam cana ac senilis, & ut ita dicam verè scientia Senatoria, quâ destituti non temere Viris sapientibus nihil callere, nihil ex iis, quæ aut ad vitæ usum, aut ad Patriæ commodum, aut ad consilii firmitatem attinent, intelligere videntur, tantoq; magis Reipublicæ aditu prohibendi, quanto perniciosius in turpi vetustatis antiquorumq; temporum ignoratione versantur. An verò is suam egregiè capeffet Rempublicam? qui non genus ipsius Reipublicæ, non prisca instituta, non causas integritatis & salutis, non femina pestis exitiisq; cognovit. Consulit fructuose Patriæ? qui leges, qui morem majorum, scita & sancita ignoraverit. Utilem deniq; & è re natam de pace aut bello proferet sententiam? nisi Patriæ suæ & vires & opes, nisi militum suorum vim bellicumq; apparatus, atq; hostium facultates perspexerit. Quod si hæc nemo præstare se posse confidet, nisi superiorum temporum rerumque, quæ publicè ge-

runtur, vel gestæ sunt, animo comprehensam notionem tenuerit; quam amplum Tibi PALATINE ILLUSTRISIME & Magnificum sit necesse? qui Te olim salutarem Patriæ ut redderes Senatorem, pulcherrimâ hâc præ primis cognitione animum imbuendum putasti & mirum in modum instruxisti. Novitne nam quisquam meliùs quam Tu, quæ sit publicæ Nostræ rei conditio, quæ juris publici instituta, quæ singulorum Municipiorum leges, quæ militaris, disciplinæ ratio? qui deniq; mos Majorum Litvanis, qui Polonis? Perspexit penitiùs quam Tu, quæ sit exteris populis indoles? quis ortus, quæ progressio, quæ singulis Vires, quæ opes, quæ Republicæ administrandæ tuendæ ac firmandæ arcana? Recenset exactiùs quam Tu, uniuscujusq; nationis fœdera, pactiones, jura belli pacisque, conditiones Magistratum & discrimina, Ministrorum virtutes, vitia, fortunam, vicissitudinem? Enarrat veriùs omnium ne quidem in Polonia tantum, sed in Europa fermè tota Nobilium Familiarum origines, quæ unicuiq; insint decora, quæ vetustas, quæ claritudo? Sane PALATINE ILLUSTRISIME Te gentium omnium, omnium nationum, omnium populorum non hospitem non peregrinum, sed Civem, sed gentilem, sed popularem suspicari cogeremur, nisi compertum esset nobis, Te, quæ sunt aliorum, plura nosse, quamquisq; sua, neq; verò tantam superiorum temporum extare potuisse vastitatem, quam non animo comprehendere possis & complecti.

Celebrare hic possem solertiam Tuam singularem, circumspeditionem eximiam, rarissimam providentiam, aliaque clarissima prudentiæ lumina, quæ cum amplissima à natura haberes ac diligenti literarum studio, optimorum autorum lectione, exacta rerum omnium scientia, usuque, qui Tibi plurimus cum Patris Tuis sapientissimis intercesserat, auctiora reddere statuisses, id ita consecutus es, ut ratio, quæ in Te nullo pacto fieri perfectior posse videbatur, multum tamen lucis adjectum sibi excepisset. Possem inquam exponere, quam acriter futura animo, cogitationeq; percipias, quam mala à bonis falsa à veris sapienter fecernas, quam exactè de quibusvis rebus judices, quam rerum omnium optimam rationem reddas, quin etiam, quam aptè de quacunq; re differas, quam copiosè, ornate, mentis Tuæ cogitata efferas? Tamen hæc omnia, quæ amplè proferri ac graviter possent reticebo, non invitus hanc tantam laudum PALATINI ILLUSTRISIMI jacturam faciam, ne quod ad Divini ingenii prædicationem celebrando extollem, auribus à me datum esse aliis videretur.

Itaq; vestram hic ego amplissimi Patriæ Proceres, in quorum gravissimo, amplissimoq; confesso sapientiæ suæ, pru-

prudentiæ, industriæ, toties illustria specimina dedit; vestram ego inquam Viri ornatissimi imploro & auctoritatem & fidem! Vos cum ALEXANDRUM SAPIEHA omnibus naturæ, fortunæ, virtutis præsiidiis munitissimum, gravitate conspicuum, sapientia præcellentem Vilnensis, Viſcomiriensis ac tandem Słoniensis, municipii vota postulataq; ferre videbatis, cum in gravissimarum rerum deliberatione sapientissimis sententiis perpolutam, luminibus doctrinarum conspersam, mirâ verborum ac rerum copiâ profluentem, copiosam atq; ornatam orationem auribus excipiebatis, quum incredibili dicendi copia ac gravissimi de rebus iudicii pondere Cives sapientissimos detineri, omnium in se ora atq; oculos converti, & egregiam in commoda Patriæ voluntatem in omnibus excitari videretis, nonne mirifico omnes studio, atq; amore in illum incendebamini, & non ut aliquem è Litvania missum, sed de Cœlo delapsum suspicari cogebamini? Et fuerunt sane complures, qui iudicii prudentiæq; maturitatem supra ætatem se se efferentem admirati, & Ei à Patria amplissima quæq; & Patriæ ab Ipso omnia liberaliter polliceri minime dubitarent.

Quod quidem nec nos ominari desistimus, postquam PALATINUS hic Honor patefecit campum, in quo se Tua PALATINE ILLUSTRISIME sapientia ad utilitatem Patriæ expromere, ingenium ostendere, & excurrere queat solertia. Quis enim consilia noxia à salubribus, certa à dubiis, tuta à fallentibus secernet acrius? Quis rerum omnium inter se nexum considerabit diligentius? Quis conjectura fallatur minus? difficillima, quæ nos inter & exteras gentes intercedunt, negotia explicabit facilius? Habes Patria hujus spei obsidem, non modo sapientiam PALATINI ILLUSTRISIMI, sed etiam virtutem singularem. Hæc enim in unoquoq; Patre conscripto, ne aut ad dexteram, aut ad sinistram à recto deflectat tramite, utq; vitâ potius, quam iusta re, aut sententiâ demoveri patiatur, quam maximè desideratur. Atq; adeo sapientiam postulari ut sciat, virtutem ut velit prodesse Reipublicæ. Hæc Consiliorum moderatrix, illa effectrix. Alteramquæ alterius ope destitutam pestem ac perniciem conflare posse, Rempublicam juvare non posse nemo ambigit.

Mihi verò mentis oculos per insignissimas PALATINI ILLUSTRISIMI virtutes circumferenti undè incipiendum sit, statuere haud facile videtur, nam & copia earum incredibilis, & singularis uniuscujusq; amplitudo. Sed quod usu venire solet iis, qui benè & ex artis præscripto imaginem hominis expressam dare satagunt, ut à capite quod principe loco est, initium capiant, id mihi per amplissimas virtutum Tuarum laudes decurrere, illasq; sine fæco verè & candi-

didè depingere connitenti faciendum videtur, atq; à capite virtutum omnium, earumq; basi ac fundamento Religione nimirum exordiendum.

Excellens hæc virtus est & præcipua. Quid enim populos, gentes & Imperia facili fortunâ & benignâ, pace, tranquillitate, opibus, rebusq; secundis omnibus cumulat & amplificat? Religio. Quid Reges, Principes, orbisq; terrarum Dominos superum præsidio munit, hominum privatorum fortunam, opes, commoda, læta tecta, conservat, & tuetur? Religio. Quid publicam deniq; felicitatem consortionem & commercium, legum integritatem, virtutum omnium jucundissimam conjunctionem tegit, fovet adauget? Religio. Sane optima ratione Majores Nostri in Religione posita esse omnia statuerunt. Cum enim in DEI O. M. potestate versentur omnia, nihilq; rerum humanarum non nutu, non consilio, non Ejus voluntate geratur; & cum veræ Religionis sit Numen Divinum placare, in res hominum prorum ac benignum efficere; vel ex eo Religione Respublicas regi, æquitatem firmari, humanam consociationem foveri, homines ipsos in officio contineri nemini non manifestum est. Quemadmodum contra quisq; videt sublatâ hac Domini Præpotentis placatrice, præstantissimâq; virtutum omnium Principe, nihil esse, quod non omnino de sui vigore & statu jactatum concidat & tollatur. Quæ enim felicitas Urbibus, quæ quies agris, quæ pax Civibus, quæ honestas hominibus, humanitas Principibus fuerit? si fidei, si justitiæ, si authoritatis cultus, omnesq; artes administræ virtutum cum exterminata Religione exularent, fraus verò & fallacia, audacia & furor, scelus & improbitas omnia replerent, neq; verò esset quod cursum vitiorum inhiberet impetum retardaret ad saniora unumquemq; revocare consilia posset? Quippe ut fluminis inundatio objecto aggere interciditur, quo sublatô licenter extra ripas procurrat, obruit latè omnia, & immanem sua mole agris; pratisq; stragem invehit, sic amotâ præcipua virtute Religione homines transversum agantur necesse est, dum hac unâ deficiente, quantumcunq; est, quod natura, quod ratio, quod institutio inculcat, ivadet, edocet, totum vilescit, contemnitur, cupiditatibusq; illis impotentibus, quas corrupta vitiosaq; natura continenter exfusciat posthabetur. Est ergo cupiditatum frenum Religio, animorum moderatrix, virtutum parens, strages vitiorum, humanæ communionis custos, publicæ felicitatis fundamentum.

Verum enimverò ut ad Te PALATINE ILLUSTRISSIME conferat se se oratio. Compertum habes optimè, quæ dignitas, quæ amplitudo, qui fructus illi virtutum omnium uberrimo fonti insit, ideoq; ab ineunte ætate nihil prius, nihil antiquius Tibi fuit & est, quam Religione pectus
com-

6
communire, & pietatem summo complecti studio atque cura. Nam ignorat nemo quam insigni cultu Numen Cœleste veneris, quam frequens ac pius rei Divinæ interfis, quam sanctè in quotidianas preces animam expendas, quam optimos de rebus Divinis sensus geras, quam benignè DEI O. M. Ministros tractes, quam providè omnibus in rebus Duce utaris DEO.

Non usitata quidem hæc Magnatum laudibus præconia, at rara, at Divina, at Tui eò magis propria PALATINE ILLUSRTISSIME. Novimus enim ignominiosissimâ sæculum Nostri labe confersum atq; macula. Novimus non rarò contingere ut quo magis quisq; opibus, nomine, dignitate excellat, eò minùs pietate in DEUM præstet. Probrum nimirum illis est munerum Datoris rationem habere, in summo honore superis se demittere, & quid quid prosperè sibi obvenit id omne referre DEO non suum putare. Tu in ista Tua optima indole, in Generis Nobilitate Regum cognationibus clarissima, in tanta fortunarum abundantia, in tam eximio dignitatis splendore, in tot naturæ muneribus non DEI Autoris oblivisceris, non à pietate discedis, non æternos Religionis sensus amittis! O virtutem singularem! priscis temporibus usitam! nostra verò ætate fermè in prodigiis numerandam! Discant cuncti exemplo Tuo in summa fortuna DEUM O. M. revereri, discant Civilia studia Religionis cultu exornare, & intelligant nihilum officere pietatem dignitati, quam prosperam semper efficit.

Intellectum est enim in Te nobis non tam diligentia, industria, gratia, quam pietate, quam Religione, cultusq; divini auspiciis honorem comparari. Nam erant, quæ est conditio liberorum populorum, præcipuèq; hujus Nostri juxta florentissimi ac celeberrimi, erant inquam, qui postquam ad capeffendam Rempublicam, petendumq; principem Polocensium Magistratum animum adijcere audireris, lites crearent, discordiam sererent, animos à conjunctione avocarent, ac Palatinus Honore, quem REGIS SERENISSIMI votum, bonorum omina, Patriæ præjudicia, populi Polocensis propè dixerim clamores jam Tibi detulisse videbantur, Te pro sua intercedendi ratione frustrari in animum induxissent. Putaris non tot jactari posse mare fluctibus, quot campus & illæ undæ Comitiorum alienatis voluntatibus fluctuaturæ sperarentur. Ecquid verò? jam ne sunt inclinata omnia? Minimè quidem. Descendis Comes ILLUSTRIS in Comitium ad diem præstitutum, & primo concursu, una voce populi Equestris Polocensis DUX & PALATINUS declararis. At quomodo declararis? Quam splendide? magnificè? gloriosè? quo enim omnium gaudio declararis? qua

Nobilium voluntate? qua dignissimorum virorum frequentia? quanto concursu Populi cum eligentis, tum gratulantis? quo cum unâ si per naturam liceret, ipsos fanè Provinciæ campos, ipsa Civium domicilia sedibus suis desertis ad Te deligendum excurrere cupivisse existimarem. Jam quanta videnda fuit omnium alacritas, quæ lætitia? Nullo Te inferre poteras quin omnia faustis acclamationibus personarent, quin non mortales solum omnes qui intererant lætarentur, sed tecta certè ipsa vocibus lætissimis gestire, cœlum nitidiore luce gratulari, aer sonitu tubarum triumphare, applaudere tellus fremitu tormentorum, omnia deniquè redundantem & intus se se non continentem lætitiâ palam indicare viderentur. O rerum conversionem incredibilem!

Ecquid vero illa in populi tempestate fluctus sedavit & procellas? Quid voluntates allexit alienas, retinuit partas, placavit turbatas? Quid spe opinioneq; celerius omnium oculos atq; animos in Te convertit? Non ne Tua illa singularis Religio, qui non ignarus in Dei O. M. arbitrato posita esse omnia, nihilq; ritè ac providenter sine Ejus ope, consilio homines auspicari, Numine duce Tuis in rebus uti statuisti. Neq; illo ipso die priùs Comitium adire volueris, quam rem Divinam obisses, & quantum maximum poteras honorem, rerum Superarbitro habuisses.

Quò factum est, ut non tam humanæ industriæ diligentia, quam dono Divinæ providentiæ Te Senatorem Patriæ constitutum esse arbitremur. Nam licebitne cui in posterum dubitare, quin acceptum sit à Numine, quòd à Te Ipso vidimus Numini redditum. Mox enim ut omnium voce & approbatione ad illustre hoc & sublime Palatinatûs Polocensis fastigium susceptus fueras, Ædes Divinas adisti, ut Honoris Tui DEUM Creditorem agnosceres, & munus, quod Religione impetratum esse testaberis, Religione consecrasses.

O Patria exulta gaudio, incredibile! Triumphæ lætitiâ Tu AUGUSTE REX POLONIARUM INVICTISSIME! gaudete boni omnes! DEI enim munera cum sint absoluta, ac nihil à fonte illo bonorum omnium perenni & inexhausto fluat, quod omnino non sit perfectum, ALEXANDER SENATOR ILLUSTRISSIMUS non ne spem tantam proponit, quantum superi propitii offerre solent. Tu etiam lætare orthodoxa Religio. Quis enim jura Tua asseret præclarius? quis fortiùs Ecclesiæ dignitatem defendet? quis libentiùs Hæterodoxorum conatus eludet? quam qui Tibi unicè datus concessusq; videtur. Edet vocem in Senatu religiosissimus ALEXANDER, & repente

7
te Schismatis molimina corruent. Vetabit, & impetum illæsa sustinebit Ecclesia. Deliberabit, & fontes sacrilegorum consiliorum patefient. Spondet hæc sibi indubitanter Religio, quæ inter Patres conscriptos retulit, quem ab ineunte ætate coluit & ornavit.

At verò, cum, ut solida atq; vera Religio in pectus cujus se demittit, agmen virtutum consequatur, quæ in Nostro PALATINO ILLUSTRISSIMO aut desideratur, aut desiderari potest? An pudor? an integritas? qui nunquam ætatis imbecillitate ad voluptatem, fortunæ affluentia ad licentiam, illecebrarum copia ad vitium ab instituto virtutis cursu avocari, adduci, adpelli potuit. An lenitas & misericordia? quem domestici, quem servi, quem suæ Præfecturæ obnoxii non modo leniorem, mansuetiorem viderunt, sed sanè sperando nunquam aut optando cogitaverunt. An veritas & animi candor? cujus modo agendi nihil simplicius, ingenio rectius, voluntate apertius, qui nemini obrepfit, neminem dolis incescit, in fraudem conjecit, quiq; tantum abest à simulatione fraudeq; animi, quantum ab ingeniis vaftris, tortuosis, animum habet alienum.

Quid dicam de benignitate, quâ PALATINE ILLUSTRISSIME præstas adeò, ut ad Te totum in alios effundendum proprio quodam naturæ munere factus videare? Quis enim vel operam, vel suffragationem, vel Tuam fidem requirit, cui non Numinis instar Benefici promptè adsis atq; accomodatè? Quem gravior divexat inopia, egestas, injuria, qui, si beneficentiam impleret Tuam, non fructum ejus percipiat liberalem? Imo ne ut imploreris quidem est necesse. Familiare enim Tibi est non petentes modo benignè suaviterq; complecti, sed non petentibus etiam opem ferre, precesq; indigorum antevertere. Et rectè id quidem. Nullâ quippè ratione similiores DEO OPTIMO redduntur mortales, quam cum Ejus benignitatem, liberalitatem, munificentiam imitantur.

Equidem mihi per laudes virtutis Tuæ decurrenti crescere copiam verborum sentio, & videor in quoddam quasi mare deferri, quo liberiùs orationis vela pando. Quametsi nimis perspectum habeo laudes Tuas obscurari à me potius & imminui, quam aliquid illis lucis conciliari aut ornamentum. Non eadem enim rerum magnarum ratio est, quæ parvarum. Hæc quandoquidem modicæ sunt, nec difficulter ab Oratore proferuntur, nec operosè varietate & rerum & verborum in majus tolluntur. At magnæ & sublimes cum tantæ sint, ut præstantissimi cujusvis facundiam vincant & ingenium, imminuuntur potius quam dicuntur, aut in amplum diducuntur, atq; vel hinc satiùs videtur tacitò missas facere, ut eas quisq; sibi animò informet & adumbret.

Verum enimverò cum plurima & claritate splendissima, & magnitudine amplissima PALATINI ILLUSTRISSIMI ornamenta taciturnitate modestâ venerari contendo, unum quin in lucem aspectumq; proferam, temperare non possum. Ecquid verò illud? An quod sit maxima pietate in Patruos illos, qui cum suis laudibus, tum verò hoc suo Nepote spem omnium superârunt & vota plurimorum? Hoc equidem insigne censeo ad laudem Principis Nostri, sed ad id, quod dicendum suscepi, non satis attinet. An quod ingentem virtute sua cumulum ad veterem Majorum gloriam addere connitatur? Hoc etiam est illustre, & illi ipsi, & Genti SAPIEHANÆ ILLUSTRISSIMÆ, sed aliud quidem proferre gestio. An quod in negotiis, in rebus agendis consiliò, ratione, judicio, non animi perturbationibus & regatur & regi studeat? Hoc laudandum maximè & in cœlum ferendum, non id est tamen, quod posteriore dicam loco. An quod, si animus ex curarum tædio recreandus est, jam usitato fortissimis quibusq; venatu, jam umbratili pugnae militaris exercitatione libens se relevet & confirmet! Et istud etiam laudibus in præcipuis reponendum. Utrumq; enim manifestò declarat PALATINUM ILLUSTRISSIMUM in spem non dubiam genitum Imperiorum maximorum, non ab animi fortitudine, non ab incommodorum patientia, non deniq; ab artibus verè regiis imparatum fore, cum respublica armis defendenda, hostes insectandi, pericula Patriæ vel suo periculo redimenda erunt. Sed majus quidam dicturus sum. An quod ætatem immaturam mentis maturitate & consilii prævertisset, atq; annorum florem tantâ morum gravitate ornasset, ut acerrimò AUGUSTI Regis Judiciò primùm ad nobile CASTRORUM LITUANIÆ METATORIS munus, tandem ad illustrem, quiq; non imbellem animum sed validum pectus requirit, THESAURARIÏ CURIÆ M. D. L. Magistratum sustinendum maturus & idoneus Adoleicens probaretur. Hoc rursus cum summa laude est conjunctum, tantoq; amplius Tibi, PALATINE, & magnificentius sit necesse, quanto rariores existunt, qui hujuscemodi laude sese suspiciendos nobis offerunt. Verum aliud orationem meam sibi postulat. Ecquid vero illud tandem, dicet quispiam, profer velim? Illa, illa maximè admirabilis, & quæ in amplis virtutum SENATORIS AMPLISSIMI splendoribus singulari luce emicat, comitas, affabilitas & rara animi demissio. Non enim, PALATINE ILLUSTRISSIME, ingenium, quò clares, quam qui maximè; non prudentia, quam non admiratur nemo; non virtus, quæ eloquentissimorum quorumvis orationem excellit; non Generis Familiæq; claritudo, quæ omnium gentium litteris celebratur; non opes & facultates SAPIEHANÆ, quæ vestrà liberalitate fortunas amplificârunt plurimorum, spiritus immoderatos Tibi pariunt, morum suavitatem corrumpunt, animi modestiam labefactant; quametfi efficiant, ut illa comitatis laus omnium ante oculos admirabilior obversetur. Neque enim sine ingenti animi stupore.

pore spectari possunt illi ad Te talem tantumq; Senatorem faciles omnium cum domesticorum tum exterorum aditus, illa benignissima cum Tui adjumenti, patrocinii egentibus pertractatio, illa non humiles non tenues aspernans sermonis collatio, facilitasq; illa, quâ par infimis esse videris, qui dignitate proximè Reges contingis.

Sed quid in immensum verba exigo? Quid in com-
monstranda meridiana solis luce imprudens laboro? Reprimo me ipse, & vos apello Equites Polocensis Provinciæ Nobilissimi. Videre enim & audire mihi videor Patriam ipsam, cunctam Lituaniam & Poloniam, omnem deniq; Rempublicam ita vos alloquentem: O Vos Viros & claros & præstantes! qui intelligentes, ab ALEXANDRI SAPIEHA ætatis cursum antevertente sapientia & virtute nihil non magnum, non optimum, non indole ejus, non Genere Majoribusq; dignum expectari oportere, haud diutiùs amplissimos fructus, quos mihi ab illo semper & certò promittebam, differre rati, inter conscriptos meæ dignitatis, autoritatis, salutis custodes, tutores, auctores retulistis, fecistisq; ut qui natus annos tres supra viginti exemplò rarissimò & sciret & vellet rebus prodesse meis, per vos etiam posset. O Vestrum in me amorem singularem! O meam ingentem lætitiã & triumphum. Nequè enim possum non lætari, non gestire, non gaudio triumphare, cum hunc in augusto consiliorum meorum sacratio videam qui me nihil non excelsum, non amplum, non divinum, sperare jubet. Potest ne enim à quopiam dubitari, quin is sapienter, prudenter me gubernet, quin rei privatæ publicam utilitatem anteponat, quin jura mea, quin leges, libertatem, otium, mòrem majorum sanctum firmumq; tueatur, quem vos unum integris annorum lustris expectastis; religione, morum integritate, sapientiã præstare perspexistis; in isto ætatis flore non modo unum ex omnibus & ab omnibus eligi meruisse, sed omnibus competitoribus & ab omnibus anteferri debuisse judicastis; summa animorum consensione delegistis, & in illa sella curuli, in qua splendor Vestri Nominis, præsidium rerum mearum residere videntur, incredibili alacritate manibusq; propemodum Vestris collocastis. Immortales proinde Vobis ago gratias, maximas, dii me ita incolumem velint, habebò semper, nullaq; mei unquam pars de Vestris laudibus conticescet. Non Rex Inviçtissimus cui autoritatis suæ, dignitatis, securitatis vindicem optimum prospexistis; non ordo Senatorius amplissimus, qui curarum, qui consiliorum suorum lumen columenq; à vobis accepit; non ordo Equestris nobilissimus, cui præsidium jurium, immunitatū, libertatis in PRINCIPE vestro dedistis, non inquam vestram sapientiam, prudentiam justitiam celebrare desinent. Neq; verò futurum existimo, ut vosmet ipsi à vestrummet vestriq; illius memorandi facti delectūs laudibus abstinendum unquam putetis, qui non minùs ab ALEXANDRO PALATINO lucis ac splendoris estis consecuti, quam ille à vobis ornamenti accepit.

P A R S S E C U N D A

ET hæc quisq; facile intelligit, qui animum oculosq; advertit ad splendores SAPIEHANÆ Genti congenitos, qui satis ipsi per se, nullo prædicationis adhibito lumine, oculos omnium ac mentes sua luce præstringunt. Neminem enim puto tam ignarum rerum omnium, ita veteris memoriæ expertem, qui non amplissimam SAPIEHANÆ Familiæ gloriam, si minùs è superiorum temporum monumentis perspexerit, at auditione certè aliqua accepit. Quippè Palæmonia Nomen auditum fuit non priùs, quam Tuorum Majorum PALATINE ILLUSTRISIME. Primus siquidem Parens Vester PROSPER CÆSAR COLUMNA cum P. L. PALÆMONE COLUMNA genere sibi proximo, aliisq; Viris clarissimis, libertate, quam Neronis teterrimi Tyranni dominatus oppressit, generosè sibi vindicata, in has terrarum plagas illatus, & Lituaniæ & Generi Tuo Amplissimo principium dedit & dignitatem.

O Fontem Sanguinis SAPIEHANI augustum! Explicent stemmata sua latè alii, evolvant singulos generis gradus, avos, abavos, atavosq; percenseant, Gentis Vestræ in luce educatæ splendorem maximum ignorat nemo, nisi Patriæ suæ ignoret ortum. Et dum aliorum gloriam annalium monumenta tuentur, Vos Vestrà annalium Gloriam tueminor. Vobis enim acceptum ferunt, quid quid de clarissimis Lituaniæ Viris atq; Heroibus ad memoriam posteritatis ferunt.

At quò inopinans gradum protuli? Longum iter instare video & molestum. Procedam? Viribus exhauriar & prosternar. Quid consilii capiam? Sileamne? Sed dubitari posset me de ea Vestra mædere laude, quâ ampliorem, ne si mentiri quidem velit, confinget quisquam. Loquar? Sed ne audax facinus videatur, timeo, quum tanta ac tam magna sunt, quæ sese mihi ad dicendum offerunt, ut faciliùs narrari, quam ornari possint. In ista tamen perplexitate animum tandem erigam, & in primis silentio venerari contentus magna illa BORCI, SPERÆ, CUNASSI, KIENNI, RINGOLDI, VOLSTINICI, MENDOGI, TROYDENI, aliorumq; clarissima Nomina, qui ex illustri Palæmonis sanguine ortum ducentes parte sæculi non postrema Lituaniæ cum Imperio præfuerunt; totum me ad propiores Vestri Nominis & Dignitatis Parentes confero ac convertito.

Sciens tamen ac prudens prætereo LUTUERUM COLUMNIADAM REGEM LOTAVIÆ clarissimum, quem domi
fo-

forisq; præclarè gesta, & vivum ingenti laude cumulârunt, & morte deletum immortali addixerunt memoriæ. Neq; illum hostium terrorem maximum, vicinarum gentium domitorem, tot arcium munitissimarum conditorem, VITENEM inquam, summum Lituaniæ Ducem laudibus exornandum suscipio. Ab illo laudum Vestri Generis primordia capio, qui nomine ipso Majestatem sonat, & non Lituaniæ tantum decora, sed integri Orbis terrarum ornamenta in Vos SAPIEHÆ ILLUSTRISSIMI cum sanguine transfundit. GEDIMINUM loquor Principem pace & bello spectatissimum. Quis enim illo bellica laude gloriosior? qui tot rebelles gentes domuit, tot fortissimos Roxolanorum exercitus fudit, tot præclaras victorias retulit, tot urbes, tot arces, tot præsidia cepit, inque amplissimam suam ditionem redegit. Usu etiam pacis quis, quam ille, laudatior? qui Lituaniam urbibus amplissimis exornavit, arcibus munivit, legibus excoluit, & homines à rudiori aggressioriq; vita ad humanum cultum moresq; mitiores traduxit. Sed quod ad memoriam immortalitatis consecrat GEDIMINUM, eos post se reliquit Filios, quorum clarissimo Sanguini Regna, Provinciæ, Europa, universus deniq; terrarum Orbis, quæ sunt in eo amplissima, vel fuere, accepta ferri debere fatetur.

A MONTUIDO enim primo GEDIMINI Filio accepit Lituania CHLEBOVICIOS, ZABRZEZYNSCIOS, DOROHOSTAYSCIOS, KUCHMISRZOWICIOS, nunquam sine acerbo doloris sensu memorandos. Quæ enim lumina, quæ ornamenta, quas spes cum his præclarissimis Civibus amisit Patria? facile quisq; advertit, qui horum in maximis rebus gerendis fidem, virtutem, sapientiam, ex veterum monumentis accepit.

Ab altero GEDIMINI Filio KIEISTUTO prodiit VITOLDUS DUX Lituaniæ. Qui Vir? Diiboni! Hunc bellatorem strenuissimum, hunc Victorem hostium prosperrimum, hunc terrarum Orbis terrorem prædicat posteritas. Filia verò KIEYSTUTI RINGALA quam latè stirpis GEDIMINLÆ gloriam propagavit? Nam nuptum data ZEMOVITO PIASTIDÆ Principi Masoviæ Filiam CIMBARCAM genuit, quæ ERNESTO FERREO Austriæ Archiduci elocata, non Ducum tantum, non Principum sed Regum, sed Imperatorum Majestatem Genti fecit affinem GEDIMINLÆ. Hæc enim FRIDERICUM CÆSAREM Filium, hæc MAXIMILIANUM Imperatorem Nepotem, hæc PHILIPPUM potentissimum Orbis utriusq; Regem Pronepotem, hæc CAROLUM quintum FERDINANDUM PRIMUM Romanorum; PHILIPPOS quatuor, & CAROLUM quintum Hispaniarum Reges, illos Reges in quibus nulli unquam virtutum splendores, qui Reges optimos formant desiderati sunt, ex Nepotibus suis Nepotes nacta, id est consecuta, ne qua dies videat sanguinem Gediminium non imperare universo.

JAUNUTO verò tertio, CORIATO quarto GEDIMINI Filiis quas habeat Patria gratias necesse est, illi pro Ducum ZASLAVIÆ & MSCISLAVIÆ, huic pro Principum CORIATORUM Familiis præstantissimis, quas Heroum Nobilissimorum, Patriæ defensorum, Fidei Orthodoxæ propugnatorum feminaria fuisse superiores testantur ætates, nostra verò præfens luget hæc illustrium Virorum Domicilia ingenti suo damno factorum viribus concessisse.

Quid dicam de OLGERDO quinto GEDIMINI Filio, qui quot Cœlum sideribus decoratur, tot gloriosissimis Principibus totum terrarum Orbem exornavit? Procreato enim JAGELLONE Duce primum Lituaniæ, Rege tandem Poloniarum præstantissimo, non modo Poloniæ septem continuo sibi succedentes genuit Reges, sed ipsi Cœlo Divos incolas, Ecclesiæ Principes purpuratos, exteris Regibus consortes dedit nobilissimas. Nam quod Gens GEDIMINIA in variis Europæ Regnis percenseat cognatos Reges undeviginti, Serenissimas consortes Regum viginti, Principes Imperii jure Cæsarum creandorum exornatos quinque supra decem, Principi ejusmodi Conjuges quinque & viginti, maximos Austriæ Duces triginta, Ducum augustas Conjuges quatuor supra quadraginta, Reginis illis potentibus ac eximiis acceptum ferre debet.

Sed jam vocat me ad se sextus GEDIMINI Filius præclarus Vestri Generis Parens NARIMUNDUS, qui non minus lucis in majores suos refudit, quam ab illis accepit, postquam Reges TAURICÆ celeberrimos, Græcorum Imperatores invictissimos nobili affinitate sibi devinxisset, & eos ex TUCHALDE Principe Tauricana, Nepte illustri PALÆOLOGORUM generasset Filios, quorum memoriam nunquam non inter Nepotes fera loquetur posteritas. Primus enim ALEXANDER ne ipso duntaxat Nomine, sed re etiam Magnus videretur cum OLGERDO Patruo bellatore maximo in exteras gentes protendit fascium affinitatem celeberrimam. Alter BELZENSIVM DUX GEORGIUS, non minus Religionis Christianæ propugnator strenuus quam bellator. A superstitionis enim ritibus ad CHRISTI castra traductus, ita Fidei orthodoxæ militavit, ut illam omnibus anteferet, pro ea quoties res ita postularet non copias modo suas, verum etiam suum caput sine ulla cunctatione in quodlibet periculum oblaturus. Neq; verò ita eum animatum fuisse mirabitur quisquam, qui cognoverit Principem hunc religiosissimum, postquam sacro fonte lustratus fuit, quatuor Crucis invictissimæ signa avitis insignibus adjecisse, ut nunquam ea adspicere posset, quin pro Religionis Christianæ dignitate vel in aciem cum CONSTANTINO descendendum sibi putaret. Tertius verò PUNIGAL CASTELLANUS Trocensis ILLUSTRISSIMUS quam acer orthodoxæ Religionis Assertor existet? si quod à rerum cognitione excellenti, & sapientia, qua mi-

rum in modum præstabat, consecutus est, Nomen SOPHIÆ inter Christi sectatores professus fuisset. Verum hæc gloriâ Filio SUNI-GALI reservatâ, quantum ipse ad summi bellatoris laudem profecerit? Ille etenim quâcunque incesserat trophæa non gressus defigebat. Ille fulminis in morem exercitus hostiles fundebat. Ille Principem Moschoviæ Urbem mira celeritate in OLGERDI Patru sui potestatem redegit. Jam verò Ducis ipsius Ædes fortunatè æquè ac fortiter invadendo, nonne victoris Victorem se probavit & Demitorem?

Et hæc est, quam quidem non expressi, sed attigi, Generis Vestri SAPIEHANI à primo sui capite deductio. Hæc prima origo Sanguinis Nobilissimi. Sed quid hic primùm prædicem aut demirer? Si vetustatem? hæc tanè tanta est, ut citiùs curas ipsas numerò annorum fatiges, quam ad initium præcellsum venias. Si verò dignitatem? quæ Gens vel ortu illustrior, vel fascium majestate commendatior, vel honorum decore gloriosior. At si claritudinem malumus, magnum profecto est Nomen suum Patriæ spectatum reddere; longè præstantiùs apud exteras quasdam gentes inclarescere; quid dicam generis sui gloriam in omnes orbis terrarum regiones nobilitate præstantissimas, magnitudine amplissimas, multitudine innumerabiles, locis infinitas protendere, cumq; tot clarissimis orbis terrarum Rectoribus, illisq; qui quidquid terrarum oceano alluitur, DEI Optimi Maximi locum tenentes, nutu arbitrioq; suo moderantur, in XISTO, MARCELLO, ADRIANO, MARTINO summis Pontificibus communicare, cælum deniq; ipsum in CASIMIRO JAGELLONIDA, ELISÆO TROYDENIADA, MICHAELE GIEDROYCIO, PRAXEDE, EUPHROSYNA et cæteris Divis Indigetibus cognatum & affine sibi reddere? Verbum profectò non habeo, quod tantæ rei magnitudinem satis digna significatione complectatur.

Sed tamen non minus illustris est merities Vester, quam ortus fuit. In medio enim relictum volumus, utrum ampliore Vos luce donârint Majores, cum Vos maximis splendoribus suis hæredes facerent, an à Vobis acceperint, cum transmissæ posteris gloriæ beneficium incredibili virtutum & decorum accessione cumulatum, non sine pulcherrimo fanore, ad se redire intelligunt. Quippè amplum Vobis & perquam gloriosum sit oportet, quod sæpè & ante oculos ponimus, & crebrò in sermone habemus, SAPIEHAM nempe non posse nasci nisi vel invictum pro Patria Bellatorem, vel Patriæ conscriptum Patrem, vel Reipublicæ Administrum, vel Ecclesiæ Antistitem, nisi inquam Virum meritis, virtutibus, honoribus ornatissimum, clarissimum, illustrissimum.

Venit primùm hujus in rei exemplum splendor Domus præcellsæ, Religionis orthodoxæ firmamentum, lumen Patriæ, DIOCÆSARI-

ENSIUM ANTISTES, Principis Lituaniæ Diæceseos DESIGNATUS EPISCOPUS necnon M. D. L. REFERENDARIUS, ILLUSTRISSIMUS Dominus JOSEPH Comes SAPIEHA. Quæ in eo claritas, quisplendor, quod decus desideratur? Ille temperatus, ille benignus, ille iustus & comis, fortis & magnanimus, plenus officii & religionis. Illum suspiciunt sui, exteri colunt, celebrat Princeps Optimus, Pontifex maximus cohonestat. Illum Ecclesia rerum suarum lumen, Patria præsidium, litteræ ornamentum, miseri per-fugium, Religiosæ familiæ portum, arcem suam tutissimam Russia Orthodoxa deprædicat. Placuit enim ejus meminisse, nè quod ad famam & memoriam diuturnam nostrorum hominum insignissimum, ad gloriam DEI præpotentis propagandam perquam illustre est, præterisse ingratus viderer. Nullum quippè tempus singularis in nos, remq; Catholicam Russiæ impressionis factæ fuerat, quo non ille impetus sacre conjunctioni infestorum propulsare, pestem ac perniciem, quam machinabantur, depellere, Apostolicæ Sedis auctoritatem sanctam atq; inviolatam præstare conatus esset, utq; id præstaret facilius, non omnia sibi facienda, non omnes adhibendas machinas, non acrem quamlibet dimicationem libenter suscipiendam putaret. O rem magnitudine singularem, vitiò temporum incredibilem, dignissimam tanto Præsule, memoriâ Ruthenorum ac monumentis semper & ubiq; celebrandam! Ego enim ita existimo, dum Russiæ Orthodoxæ sacra extabunt & nomen, dum SAPIEHARUM Princeps Familia ac Genus, JOSEPHI Comitæ SAPIEHA ANTISTITIS Optimi cura rei Catholicæ singularis, admirabilisq; in nobis tuendis & orandis ardor celebrabitur; conciderit verò terrarum orbis prius, quam extingvatur tantorum in nos ejus promeritorum recordatio aut temporum lapsu aboleat.

Venit alterum domus suæ decus, Patriæ firmamentum, sacrarium virtutis, eruditionis domicilium Patruus Tuus, PALATINE, Optimus, ILLUSTRISSIMUS MICHAEL SAPIEHA PROCANCELLARIUS M. D. L. Sed equis eloquentissimus unquam amplissima quæ de ejus laudibus efferuntur, dicendo assequetur? Quanquam intelligo, neq; assequi oportere. Exstatnè quippè ulla usquam tam deserta ora, tamq; ab omni hominum commercio remotus locus, quò non fama ejus, finibus hujus Regni non contenta, penetrârît? Est tam furda in terris gens? quæ non dudum laudes Senatoris istius & Reipublicæ Administri auribus exceperit. Personat enim quâ latè patet Polonia, personat universa Lituania clamoribus admiratione virtutis Tuæ, PROCANCELLARIE, excitatis, nec verò exstat oppidum, urbs, aut municipium, quod Tuam in deliberando prudentiam, in consulendo gravitatem, in rebus agendis solertiam, in administranda justitia non generis, non amoris, non utilitatis pulcherrima Nomina intuentem sanctitatem, miram innocentiam, summam integritatem in cælum laudibus efferendo, non se felicissima clarissimis vocibus deprædicent, Patriam verò beatam dicant, quæ

quæ eum juxtâ gravissimum ac amplissimum PROCANCELLARII Lituaniæ munus Tibi commisisset, illi libertatis præsidium, dignitatem Reipublicæ, REGIS Majestatem, pacis custodiam, tutelam miserorum commiserit, qui ad ea cum dignitate sustinenda, naturâ propemodum manibûs effectus videtur.

Neq; PRÆFECTUS PUNISCENSIS Frater Tuus ornatissimus MICHAEL Comes SAPIEHA non magnam lucem splendoremq; affundit Stemmati SAPIEHANO clarissimo. Eis enim se ornatum laudibus spectandum suspiciendumq; nobis offert, ut bonorum omnium non alius sensus sit, præter hunc, Illum scilicet & propter canam senilemq; prudentiam, qua teneriorem ætatem præcurrit, & propter sapientiam, quam omnibus artis & naturæ subsidiis comparavit, & propter singularem virtutem, quâ pectus animumq; cumulate instruxit, maxima quævis & providè & tolerer & libenter pro Patria suscepturum, neq; verò esse quidpiam tam arduum tam obscurum tamq; difficultatibus implicatum, quod non facile consilio expedire, judicii solertiâ perspicere, ratione explicare possit. Magna meherclè existimatio, præclara opinio! quâ tamen longe se majorem ostendet, postquam Rempublicam faustus fortunatusq; attinget illiusq; gubernacula tractanda suscipiet. Tunc enim apparebit, tantam in Te, PRÆFECTE ILLUSTRISIME, virtutem, felicitatem, sapientiam, eloquentiam, consilium atq; agendi vim inesse, ut si quis excellentiora iis requireret, is sane non requirere sed os frontemq; ferream induere videretur.

At si morte deleti, ii tamen quorum cum vita virtus extingui non potuit ac memoria, in medium producendi sunt, venit Pater Tuus Optimus ille SUPREMUS REI TORMENTARIÆ M. D. L. PRÆFECTUS, EQUES AQUILÆ ALBÆ, CASIMIRUS SAPIEHA. Qui quam illustre Gentis SAPIEHANÆ ornamentum extiterit, dicerem, si quidpiam de eo tam honorificè dici posset, quod non jam pridem virtus ipsius superârit. Quæ enim illa non extitit tanta, ut etiamnum omnium ore celebretur? Rei militaris scientia? At hanc castrensis disciplina è situ & squalore in antiquum gloriæ locum restituta, continenter deprædicat, Suavitas & benignitas? At nulla vox Civium auditur frequentius, ac quæ illum AMOREM POPULI dicat, & sibi ereptum queratur. Indulgentia in agendo, consilium in providendo, felicitas in conficiendo? At horum laudes seræ posteritati Respublica testata est. Fuit etenim difficillimo interregni tempore designandus, quòcum PRIMUS PRINCEPS REGNI abdita tum pacis, tum belli consilia communicaret, quem ergò illa designavit? CASIMIRUM SAPIEHA designavit. Fuit cum CÆSARE pertractandum, de bono vicinitatis tolerer agendum, quem ad pertractandum, agendum delegit? CASIMIRUM SAPIEHA delegit. Fuit in Curonia motus seditioq; comprimenda, odio dissidentes in gratiam redigendi, præscribenda

forma certaq; ratio, qua Piltinensis præsertim Provincia & rectè ordinesq; regi, & justitia, quorum interest, administrari posset; quem ad hæc conficienda expedivit? CASIMIRUM SAPIEHA expedivit. Fuit Osmianensis Provinciæ lustratio peragenda, pecunia vectigalis ad calculum revocanda, recognoscendæ urbes, oppidaq; fructuaria, quem his perficiendis præfecit? CASIMIRUM SAPIEHA præfecit. O! virtutem CASIMIRI gravissimo testimoniò communitam. Equidem existimo nullam tam vehementem invidiam exstare posse, quæ non hac præclara Reipublicæ testificatione penitus comprimatur.

Avus verò PALATINI AMPLISSIMI, Ille SUPREMUS M. D. L. MARESCALLUS, AQUILÆ ALBÆ EQUES, ALEXANDERSAPIEHA qualis quantusve extiterit? demonstrant palàm illa duo ornamenta sæculi JOSEPHUS & MICHAEL, superstes uterq; ad comoda Reipublicæ, utinam etiam uterq; immortalis. Ita enim naturâ comparatum esse scimus, ut Parentes non modo in venas sanguinem, sed ipsam quoq; virtutem in mentes liberorum suorum transfundant. Atq; adeò si quanta in his gravissimis viris virtutis, ingeniiq; ornamenta suspicimus, tanta in præstantissimo Parente visa fuerant, quis ALEXANDRO MARESCHALLO sapientior, quis pietate illustrior, humanitate, comitate, munificentia præstantior extitit aut extare potuit? Sed quid hæc conjecturâ assequi oporteat? Vos ego, qui eum vidistis, coluistis, qui amastis, qui merita ejus in Patriam, in religionem, in Cives, in bonos deniq; omnes memoriâ immortalis complexi estis, Vos inquam ego appello & invoco. Dicite, prædicate, contestamini, quomodo Reipublicæ gubernacula tractarit, quomodo dignitatem amplissimam meritis exornarit, quomodo usu rerum, sapientia admirabili, judicii maturitate, religione, benignitate reliquos suæ ætatis superarit? Sed quid inquam dicite, prædicate, testamini. Testis est Respublica, quam ille ut salvam, ut integram servaret, nullum non laborem subiit, nullam non dimicationem suscepit, nullum discrimen recusavit. Testis res Catholica, cujus ut incolumitatem tueretur, in gravissimo Senatûs Populiq; Poloni Conventu loquendi facultatem hæterodoxo præcidit, Magistratus sui autoritate è Senatu ejecit, legisq; eam in rem rogatæ dignitatem sustinuit propugnare. Testes Romani Imperii ditiones, quas gloria splendoreq; nominis sui complevit, sapientiæ & virtutis admiratione defixit, atq; ad titulos Romani Principatûs summa alacritate sibi deferendos excivit. Testis Curolandia, quæ ejus miram agendi vim perspexit, sapientiam coluit, facilitatem gravitate conditam adamavit. Testes literæ, monumenta, lapides deniq; ipsi, qui illum eruditionis domicilium eloquentiæ flumen, Regum, Imperatorum desiderium, Senatûs lumen, mel generis humani & delicias, religionis præsidium, pauperum portum, arcem religiosarum Familiarum proclamant, seræq; posteritati testatum eunt. O singularem & per sæcula celebrandum Senatorem! O ALEXANDRUM laudibus verè magnum, hõc unò Patriæ, Ecclesiæ, bonisq; omnibus injurium, quod non ex voto ipsorum vitam immortalem gessisset.

Sed

Sed vel solos avos atavosq; Tuos, PALATINE, percensere ultra volenti ita illustres ac conspicui SAPIEHÆ ad dicendum sese mihi offerunt, ut cum oculos per uniuscujusq; ornamenta circumfero, nullum eorum, æquus si esse velim, reticere posse existimem, ad dicendum verò cum accedo, ita omni oratione superiores adverto, ut omnino mihi silentiò prætereundi esse videantur. CASIMIRUM tamen Proavum Tuum PALATINE ILLUSTRISSE VILNENSEM PALATINUM, SUPREMUM EXERCITUS LITUANI IMPERATOREM, EQUITEM AQUILÆ ALBÆ Clarissimum reticere non possum. Sed quid ego prius hic memorem quid posterius? Humanitatem temperantiam, mansuetudinem, modestiam prædicabo? Occurrit religio in DEUM ardentissima. Dicam Aedes amplissimas Ordini Sanctissimæ Trinitatis à fundamentis excitas, possessiones amplas attributas, Templum Societatis JESU Grodnense jam auctum, jam ornatum, plures alias Ecclesias egenas & tenues illustribus & ad splendorem Domus DEI memorabilibus rebus cohonestatas & ornatas: amor in Patriam sese laudatum offert. Exornabo gravissimam pro Rege, legumq; integritate, magnis fortunæ impensis susceptam in Moschoviam legationem? Ornari expectant tot cohortes Moschovitico, Chotimentiq; fremente bello in subsidium Republicæ alitæ atq; sustentatæ. Hoc maximum promeriti in Patriam genus celebrabo? Obversatur illud memorandum ad Camenecum Podoliæ bellum, in quo animi magnitudine præstantissimum, rei militaris scientia spectatissimum Ducem se probavit & Bellatorem. Hoc laudibus effram? Offerunt se laudes Senatoriæ, promptum expeditumque in rebus magnis consilium, matura ad statuendum prudentia, solers ad exequendum industria, & alia magnitudine amplissima, multitudine penè infinita. Quid igitur? unum vel carptim attingam, ætate scilicet gravem, viribûs corporis adfectum, non prius de Patria bene mereri destitisse, quam vivere. O Virum meritò litteris atq; monumentis celebratum. Quanquàm intelligimus omnia quæcunq; de illo dicuntur, atq; inter seros Nepotes dicentur, non esse quæ cum iis, quæ dici deberent, conferri possent.

Quid dicam de Atavo etiam Tuo, PALATINE, de illo inquam PAULO JOANNE SAPIEHA, VILNENSI itidem PALATINO, ac DUCE MAXIMO EXERCITUUM M. D. L. qui non modo suprum æqualium gloriam, sed etiam superiorum hominum memoriam virtute superavit? Ille enim est qui impetu desultorio ad Regis nutum valla Biallæ invadens egestâ cuniculis ingenti terræ mole tumulatus, integer tandem arcana vi quâdam redditus, manifestò testatus est, se suam salutem salutis publicæ posthabere. Ille est qui ad ZBOROW multis exercitum Poloniæ periculis cinctum fortitudine animi & celeritate consilii explicavit. Ille est qui ad BRESTAM Ducem Moschoviæ Horusovium vastata latè Lituania Possessæ exitium meditantem, exercitu

duodeviginti millium communitum devicit, oppressit, concidit, cladeq; hostium ingenti edita ad pacem deprecandum adegit. Ille est qui arcem Tycocinii naturâ & situ munitissimam adjecto triplici propugnaculo inexpugnabilem penè redditam, Civesq; in ea rebelles paucarum horarum spatio subjugavit, expugnavit, disjecit. Ille est qui Suecos Lublinò, Varsaviâ Vittenbergos Oxesternios, Minscò Dolhorucum, Vilnâ Moschos hostes infensissimos & fortissimos expulit, ejecit, fugavit, atq; ex metu belli Lituaniam, Masoviam, Poloniam, recreavit. Ille est qui Racotii, Transylvanorumq; Regni Poloni ambitione ardentium, temeritatem consilio, multitudinem fortitudine audaciam prudentia superavit. Ille deniq; qui Patriam omni genere bellorum concussam, secessione Civium desertam fraudibus & armis hostium circumventam, calamitosissimo tempore, cum nec Dux, nec Miles nec nervus belli superesset, se in DUCEM, fortunis suis in nervum belli addictis, ea virtute, quæ in reliquis omnibus Imperatoribus, quos aut vidimus aut audivimus non eminuit, belli dissidium omne delevit, vitam, libertatem, patrimonia, civitates, omnia deniq; divina & humana Patriæ reddidit ejusq; *SERVATOR* ac *PATER* haberi & prædicari meruit. O PAULE! O IMPERATOR per sæcula memorande! Qui arcus, quæ columnæ, qui obelisci, quæ trophæa meritis tuis digna excitari possunt? Etsi sentio Te, qui immortalis factus es, mortalia ista non curare, habereq; Historias, Poemata Orationes, Encomia, quibus virtus Tua ab oblivionis injuria vindicata ad memoriam temporis sempiternam propagabitur.

Sed ultra progrediendum est, vocat enim nos ad se JOANNES PETRUS SAPIEHA DUX EXERCITUUM PRÆFECTUS USVIA'ENSIS neq; virtutem suam tacito mitti patitur. Hic ille JOANNES qui adolescentiæ tempus extremum principium habuit bellorum, qui nomen suum ad immortalitatem consecravit pluribus victoriis quam alii castra viderunt, pluribus ex hoste relatis trophæis, quam alii audiverunt. Ille enim ineunte juventute non Miles sed PRÆFECTUS militaris cohortis summa laude cum Suecis ad KOKONHAUSUM dimicavit, ille Moschos non minus vi animi quam corporis robustissimos, *TRIGINTA PRÆLIIS* Victor confecit & obrivit. Ille ad Boroucum Szuyficiæ exercitûs Millia triginta, decem verò ad Troiciam non militum suorum numero sed mira agendi vi profligavit. Ille Principem Moschoviæ Urbem incredibili celeritate in suam potestatem redegit. Sed exilius restantæ ac tam celebres & conspicuæ à me dicuntur, quam amplitudo illarum postularet; Sed quis omnino futurus modus esset, si quæ paucis attingo, in majus verbis ferre voluissim.

Nunc quoq; si de illo Religionis Orthodoxæ firmamento Patriæ fulcro, Ecclesiarum innumerarum Conditore LEONE inquam SAPIEHA PALATINO VILNENSI DUCE EXERCITUM M.D.L. SUPREMO, nec non ejusdem CANCELLARIO præstantissimo di-

12

cere vellem quam ingens mihi dicendi ubertas afflueret? Dicerem gravissimum legationis munus, ad Tyrannum Moschoviæ, teterrimam generis humani pestem, intrepidè susceptum, rationem supremi judicii Lituaniæ egregiè emendatam, publicas leges, scita, sanctiones in unum corpus coactas, innumeras publicarum causarum cognitiones Regis reiç; publicæ nomine pertractatas. Dicerem milites suis impensis conscriptos atq; alios, Prussiam defensam, Albam Moschis ereptam, arces Ostroviensem & Plešcoviensem fortissimè oppugnatas, Avistum Sueticum propugnaculum multaq; Castella occupata, Dunetzburgum, Critzburgum urbes florentissimas Patriæ vindicatas, Sueticas cohortes suarum copiarum manu suas, prostratas, debellatas. Dicerem egentes liberalissimè sublevatos, Sacerdotes fundis prædiisq; cumulos, templa innumeris locis jam à fundamentis excitata, jam è suis rudibus ad pulcherrimam speciem decusque Divinis ædibus dignum revocata, jam muneribus carissimis splendidissimisq; exornata. Quantis verò laudibus exornarem, quæ religionis orthodoxæ tuendæ, ampliandæ, defendendæ, vindicandæ studio perfecerat, quum persequens teterrimum parricidium, necemq; illam immanem Præsulis Vitebscensium JOSAPHATI KUNCEWICII, impietati Schismaticæ immunitates omnium rerum antiquaret, gratias sibi legum factas dissolveret, privilegia infirmaret, templa sacrilega obseraret, tandem ad Imperium Romani Pontificis revocaret. Dicerem tali bene multa, nisi complura necessario prætereunda intelligerem, summa omnia & laudibus omnibus superiora.

Quod si vellem ulterius progredi aliaq; magna SAPIEHARUM nomina percensere, commemorarem PAULOS CASTELLANOS NOVOGRODENSES, KIJOVIANSES, PROCANCELLARIOS LITUANIÆ, egregia æternaq; Patriæ decora; commemorarem NICOLAOS magnos dignitatum splendores fascibus NOVOGRODENSIBUS VITEBSCENSIBUS ILLUSTRISSIMOS; commemorarem THEODATOS, STEPHANOS, CHRISTOPHOROS, CASMIROS, FRANCISCOS, MICHAELIS, BENEDICTOS, & quin bella, quin merita, quin animi ornamenta memorarem, solis penè munerum quæ gesserunt vocabulis utramque paginam facerem.

Cogita jam ergo amplissima POLOCENSIS PROVINCIA quam illustre ad gloriam, ad famam immortale, Tibi sit oportet, Te Tibi hæc de stirpe, ab his Majoribus ortum delegisse PALATINUM ALEXANDRUM. Ego sanè quum SAPIEHANUM genus præclarissimo REGUM, PRINCIPUM, IMPERATORUM, Sangvini immisceri, splendidissimis DIVORUM HOMINUM imaginibus exornari cogito; quum merita illorum in rem Catholicam publicamq; clarissima, summis armorum Imperiis in decem, Mareschalcalibus Lituaniæ Magistratibus in totidem, sanctioris tabularii sigillisq; Præfecturis in septem, Palatinis Castellanisq; honoribus in octoginta propè, SAPIEHIS cohonestata ornataq; admiror; quum præterea diffusam totò terrarum orbe nominis SA-

PIEHANI gloriam, quum Poloniae, Lituaniaeque; universae de magnificentia, liberalitate, opibus, facultatibus SAPIEHANIS amplissima senta, dictaque; quae in cujusdam proverbii consuetudinem abiierunt, tacitus mecum reputo, teneri non possum quin multum Te lucis splendorisque à SAPIEHA PALATINO accepisse, dicam. Si enim gentibus, si regnis, si Populis honorificum ab illustribus clarissimisque; Viris gubernari, si Imperium iisdem deferre amplum & praclarum, quae dignitas Tua, qui splendor? Te Tibi Principem praefecisse qui Regna, qui Provincias gloria splendoreque; nominis complevit; Orbis vero terrarum Imperium jure optimo obstrictum tenet, quandoquidem Ducum Regumque; Nepoti faustissimo, nec non sanguini SAPIEHANO toti Europae imperanti, nihil non summum, non praecellens, non amplum in honoribus atque; spectatum debetur. Gaude igitur hoc Tuò excellenti bono PRINCEPS ALBAE RUSSIAE PALATINATUS, & frui hac sublimi felicitate cum gloria & fortuna.

Triumpho Tu quoque; ingenti laetitia Russia Orthodoxa, humilisque; Magni BASILII Familia, quae ad Polocensium fortunam nomine praclarissimi olim Eorum PONTIFICIS, SAPIEHANAE vero Genitis Tutelaribus praesentissimi B. JOSAPHAT KUNCEWICII pertinere videris. Triumpho inquam & laetare? Optimum quippe praesidium in PALATINO ILLUSTRISSIMO arcemque; rebus Tuis tutissimam invenisti. Non enim dubitamus, quin qui nihilum à Majorum Tuorum discedis gloria, eorundem in tuenda BASILIANORUM Familia insistas vestigiis. SAPIEHANO enim nomini generique; debemus tantum, quantum homines non ingratos, neque; inofficiosos beneficentissimis hominibus debere fas est. Si quid in Lituania, Russiaque; inferiore splendoris, amplitudinis, si quid lucis & dignitatis habemus vel habuimus, Gente Vestra celsissima duce & auctrice habemus & habuimus. Etenim quis ignorat illa BASILIANI Ordinis lumina Coelique; ornamenta Sanctum HELISEUM Laurisoviensis Cænobii ANTISTITEM, S. NICOLAUM à summa Sanctitatis laude SVIATOSSAM dictum, S. PARASCEVEN seu PRAXEDEM, S. EUPHROSINAM ANTISTITAS Polocenses; LAURUM, VOLSTINICUM amplissimos Lituaniae Duces; EUDOXIAM, EUPHRASIAM, AGATHAM, EUPHEMIAM Principes Polocenses, CATHARINAM, BARBARAM, EUDOXIAM, has filias, illos omnes Majores jam Paternos jam Maternos SAPIEHARUM fuisse. At non exigui nominis, antea vero, quam furor hominum ab Ecclesiae communione sejunctorum in nos desævisset, florentissima insignissimaque; Monasteria à quo accepimus? nisi ab ILLUSTRISSIMIS, in nostrum exiguum caetum affectu propensissimis SAPIEHIS, Eorumque; item majoribus. LAURISOVIENSE enim S. HELISEUS TROYDENI COLUMNIAE DUCIS LITUANIAE FILIUS condidit, Frater ejusdem LAURUS ex Principe Lituaniae Monachus BASILIANAE Religioni adscriptus in soli rebus ac fundis, in pascuis atque; cultis, digna se, numeroque; Monachorum amplissimo munificentia stabilivit; LESZCZYNENSE VOLSTINICUS pariter Dux Lituaniae Monachusque; BASILIANUS à

fun-

fundamentis excitavit; *NOVOGRODENSE* in Severia à Moschis nobis ereptum Palatinus Smolefcensis *THEODATUS SAPIEHA*; *BOHDA-NOVIENSE* in Lituania Dux Holfzanensis Palatinus Minscensis *BOGDANUS SAPIEHA*; *CZEREIENSE* in Ruffia Alba Dux Exercituum Lituaniæ Palatinus Vilnensis *LEO SAPIEHA*; *ROZANENSE* Procancellarius M.D.L. *CASIMIRUS LEO SAPIEHA*; *CZERLONENSE* Præfectus Drogicinenfis *JOANNES SAPIEHA*; summâ pietatis in DEUM laude erexerunt. Quid verò memorem *VILNENSE*, *ZYROVICENSE* aliâq; cõplura quæ *LEONEM*, quæ *CASIMIRUM* Palatinos Vilnenses, *HLEBUM* Theodori *FRIDERICI* Palatini Podlachix, *JOANNEM BOGDANI* summi Præfecti Putiulensis Filios, suos Auctores, Patronos, Fautores, beneficos, optimos, gratissimis animis colunt, neq; colere unquam desistent. In quorum beneficentissimorum *SAPIEHARUM* numero non possumus citra piaculum non reponere *IELUSTRISSIMUM MICHAELEM PROCANCELLARIUM* M.D.L. Eximium, qui tantis beneficiis Basilianam Sodalitatem, Ruffiamq; Catholicam universam auxit atq; augere contendit, ut non modo ea nostri homines memoriâ immortalis cõplexi sint, sed etiam summum illud Christianæ Reipublicæ caput, cujus nec auctoritate, nec judiciõ gravius aut præstantius quidquam cogitari potest, *BENEDICTUS* inquam XIV. lubens agnoverit, litteris suis consignârit, laudibus extulerit, futurisq; temporibus declarârit, tanti nimirum esse, *SAPIEHAS* nancisci Patronos ac Fautores. Tacebo porrò *DIOCÆSAREÆ PONTIFICEM JOSEPHUM SAPIEHA*, quem nunquã non in nostra commoda benevolentissimum, nunquam non nostrarum partium, nominis, innocentix defensorem, propugnatorẽ acerrimum ac constantem experimur; Facilẽ complures alios præteribo, quos litteræ, quibus beneficorum in nos hominum Nomina inseruntur, ut eorum amorem, studia, sollicitudinem, & grato animõ colamus, & diutissimè confervemus, nunquam prædicare cessabunt; dixisse contentus: nullam gentem, nullam Familiam in nos ornandos, tuendos, augendos proniorem extitisse vel existare, quam est & fuit *SAPIEHANA* amplissima.

Ortus ergo cum sis hac de stirpe præclarissima, *PALATINE*, non possumus præsidia, adjumenta, auxilia, quæ par sit à Te proficisci, nobis non promittere liberaliter; quandoquidem ab ea, quam Tibi majorum imitatio ingerit, alacritate, habes ut velis, à sũmma Authoritate ut possis, ab eximia virtute ut gaudeas esse patrociniõ, defensionis, præsidio Ruffiæ Catholicæ, cætuiquẽ Basiliano Rutheno, qui totus quantus quantus est, vehementer DEUM appellat, obsecrat, obtestatur, ut Te Patriæ, Provinciæ Polocensi, nobis, bonisque omnibus quam diutissime fervet atq; tueatur.



Ex libri Bartholomaei Mabowiti.

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :



ul. Krzemowa 1

62-002 Suchy Las

www.digital-center.pl

biuro@digital-center.pl

tel./fax (0-61) 665 82 72

tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.

Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.